

Sammelband

49

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



IOAN. CASELII  
 ΔΙΑΜΑΡΤΥ-  
 ΡΙΑ

*Aduersum duos sycophanticos libellos, in contume-  
 liam aliquot academiae Iuliae philosophorum,  
 nuper Lemgoniae  
 editos.*



Helmæstadij in academia Iulia excudebat  
 Iacobus Lucius.

---

Anno MDCC.

# LECTORI

S. D.

Ioannes Caselius.


**M**agna silentij vis est in utramq; partem, idq; res ipsa docet, & confirmant ex re nata proverbia. Iactatur enim de tuto silentij premio: nec minus tamen Amyclas perdidit silentium. Hinc igitur apparet, silentio ut plurimum quidem utendum esse, quod aliquando tamen repudiandum cogat necessitas. Hec autem cum multiplex sit, una in precipuis est, quando adversus calumnias virum bonum tueri existimationem oportet. Quis enim tum, vel innocens conticuerit, se criminis, cuius reus factus sit, convictum tacite fateri videatur. Respondemus autem calumniatori legitime duobus modis: primum quidem, si ad magistratum provocemus, ubi ille causam dicere, & uterq; sententiam expectare, necesse habeant: deinde, si longe lateq; disseminetur contumelia, confutatione illius & declaratione nostrae innocentiae ad omnes: praesertim, si novi praeterea, ut sit, & clandestini hostes varijs malis artibus nos adorianur, quos neq; ipsi cognoverimus, ut forte ne quidem nos illorum aliqui, neq; iudex auctoritate sua compescere & redigere possit in ordinem. Nam quemadmodum à corpore, quocunq; loco & tempore grassatoris manum, ita linguam calumniatoris à fama propulsare nos iubet lex, omni scripta lege antiquior, quam exscalpi è mentis humanae tabulis ipsa rerum natura non patitur: neq; hoc vetant scriptae leges, quae, si queant, ubiq; nobis opitulentur. Nos, quamdiu cum uno certoq; nobis lis fuit, quicquid, ut utring; iussi fueramus, quamquam ille huic mandato minus obtemperandum censuit, nec expectandam de controuersia sententiam; ut qui ex illo tempore plures emissitios libellos confecerit, & in multos spargi curauerit. Ego interea, nominatim petitus ante omnes, & initio in theatrum à calu

mnis

omnia productus solus, nihil mihi publicè agendum putavi, nisi quod per leges & iudicem liceret, etiam ut quæ in promptu essent, & scire omnes cuperent, non iniquo animo supprimerem. Fortè querelas à me & protestationes aliqui legerint. Nam nemini non etiam queri licet: in quo tamen ita me gessi, ut dolere, non muliebriter lamentari viderer: quæ quibusdam videatur culpa confessio, & sit abiecti animi indicatio. Protestari autem oportet, quoties opus est, nisi quis perire, quàm seruari malit. Priuatim quidem, (nam quid negem?) pro me & dixi & scripsi sæpius: publicè non item, nisi viderem summè necessarium, idq; sine contumelijs eius, qui fuisset in me sine causa contumeliosissimus, nisi causam dicas, qua quis animo morem gerat. Nunc verò, taceámne, an loquar? postquam illa vna calumnia, ut, si fieri posset, & certius perirè & miserius, exclusit plures: atq; verò ea iam adulta, Vestalium virginum habitu, ut princeps illa pridem, prodeunt in publicum. Sed iudicate, num verius sint furia, cum palàm, & alternis, & interdū simul, maledicant & mentiantur. Mentiantur enim, cum vno ore, ut fortè conclamat populus à seditioso ciue concitatus, id agi aiunt, quod actum numquam fuit, ut nobis nosmet conscij sumus, & exitus euincer. Nam profecto, ut de me potissimū loquar, non magis vllam questionem rheologicam moui, aut attingi, siue scribendo, siue docendo, siue disputando, quàm triremes onustas auro, ex illis longinquis insulis Peruanis reuertentes, Ibericæ classi raticula ipse eripui, quæ quo loco quando essent, ne diuinando quidē assequi vates potuerit. Tamē sycophantia hoc sibi castellum in aëre exstruxit, ut haberet, quod omnibus machinis maledicentiæ oppugnaret. Nisi enim mentirentur, non esset, vnde maledicerent. Vtrumq; agunt à superiore decembri, siue apertius, siue incautius. Nota pridem sunt, quibus denuo recensendis supersedebo: ut in academia clanculum, quemadmodum factiones coire solent, obliquè in nos disputarint, quæ neminem nostrum, me minimè omnium, qui tamen dux prophane impietatis falsò ab ijs predicor, attingerent: ut ea, quod hïc sibi non licere dolerent, alibi, haud scio, quorum venia, ediderint: ut item farragines sententiarum, &

rum, & orationes, quo modo nos in campum suum elicerent: ut ad subscriptiones corrogandas passim volarint: ut inuectivas in nos per longinquos condi curarint: ut præiudicia libellis familiarium non sine contumelia philosophiæ inscripserint: ut quidam à nobis absurda & blasphema doceri ex editiore loco ad plebem cum clamoribus assueverare non erubuerit: ut in pasquillo conficiendo diu, nec pauci, desudarint: ut primùm eius exempla & alibi & per academiã scripta sparserint: ut deinde alio loco edita passim disseminarint: ut qui se iam Comiõv confidenter profiteretur, apologiam sceleri prætexuerit. Hæc prætereo, quæ qui ordine referret, diem dicendo facile perderet. Recentiora tantum indicabo paucis. Ad famosum enim libellum adiecere famosas picturas, nempe, ut qui iambos non intelligerent, eorum oculis subijcerent hæreses & molitiones nostras, hoc est, sua de nobis mendacia & multiplices in nos calumnias. Duos etiam iterum libellos, ultra Visurgim ediderunt, dignos omnino tam elegantibus typis & tam nitida papyro: & si pleraq; ibi sunt, quæ rectius suo loco legerentur: qui cum simul ad nos ante biduum allati sint, vter natu prior sit, ignoramus: ex eodem ovo emersos credibile est, ut de Castore & Polluce narrant fabula: in unum coniecere quasdam cl. m<sup>i</sup> collegæ meditationes: quas cum censura familiaris credidisset, alius huius familiaris furtim surripuit, & extulit, cum neq; perfectæ essent, neq; in hoc scriptæ, ut umquam diuulgarentur: nec tamen de ijs ipse iudicium fero, nec disputo, quòd quæ ingenio perfecit, & velit, ipse tueri potest: furtum autem ego, & fraudem, & mendacium, & calumniam accuso, quæ insuper accessere. Luculentè verò mentitur, quisquis fuit ille sycophanta, cum ait, nos hostiliter adortos eum, cuius commentitiam prorsusq; e mentitam causam hic novus absq; nomine patronus, non minus stultè, quàm confidenter agit. Velle namq; suis verbis credi, in re præsertim capitali, sine aliqua argumenti specie, & cuiusquam testimonio, quod per se censeatur iniquissimum postulatum; id est, ni fallor, quem tuendum suscepis, nudum ab omni auxilio destituere, & inermem in confertos hostes protrudere: quamquam

quam nos nullius mortalium hostes sumus, qui nobis inimicissimo bo-  
 nam mentem, quod initium salutis creditur, optamus, & salutis co-  
 piam à Deo benignissimo precamur. Cum enim longè alia de re, nem-  
 pe de violata ab ipso dignitate philosophia, cuius partium explicatio  
 nobis esset demandata: an non unâ quoq; defensio? quî enim, quod  
 proculcari pedibus sinas, id cuiquâ commendes, nedum cum alijs  
 communices? cum non solum de philosophia se parum honorificè senti-  
 re, aliquoties disertè ostendisset auditoribus, sed eam quoq; in scripto  
 publico nefarijs sceleribus & turpibus flagitijs accensuisset. Contine-  
 ri enim sub haeresibus, quæ sint ἐν ἔργοις τῆς σαρκὸς: de quibus hæc  
 sunt apud Paulum, Φανεροὶ δὲ εἰσι τὰ ἔργα τῆς σαρκὸς, ἅτινα εἰσι, μοι-  
 χεία, πορνεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια, εἰδωλολατρεία, Φαρμακεία, ἔχ-  
 θρα, ἔρις, θυμοί, ἐπιθεία, διχοστασίαι, αἰρέσεις, Φόνοι, Φόνοι, μέτροι,  
 κῶμοι, ἢ τὰ ὅμοια τέτοις. Vbi qui non videt, quæ αἰρέσεις vocen-  
 tur, eum iubeo considerare cætera, inter quæ recensentur: quod si per  
 stuporem nequeat, legat versionem Germanicam; videbit ad philo-  
 sophiam, ne minimum quidem attingere, quæ ibi dicuntur. Cum igi-  
 tur tanta de re compellaretur à nobis amicissimè, certè blandius, quàm  
 per negotij magnitudinem fieri oportuisse videatur, ille contrà, decli-  
 nato controuersie statu, quantum poterat, etsi, ut posset, nemo conce-  
 debat, & nouo, neq; quidquam ad rem faciente, nobis reluētantibus,  
 obiecto, quem tamen etiam nostrum acceptaret nemo, magna animi  
 impotentia, & extrema verborum acerbitate in nos irruit. Quod  
 ego profecto non mentior. Sunt enim nobis eius rei testes locupletes, &  
 omni exceptione maiores, uniuersus senatus academicus. Idem ei-  
 usdem libelli bonæ fidei collector, excerptos ex oratione mea ambitus  
 aliquot ineptè calumniatur, cum non illæ solum particule, sed tota o-  
 ratio, si res, ita distinctè, si verba consideres, ita luculentè scripta sit,  
 ut nec eius, nec cuiusquam calumnias mihi extimescendas, probe in-  
 telligam: non quòd excogitari nulla queant, cum nihil tutum sit à  
 malitia, sed quòd non nisi friuolas omnes esse oporteat. Quòd etiam  
 uoculam carpit, nec fortè, nisi unam, in cuius usurpatione, nescio quo



olim loco, Latinè locutus fuerim; aut ille Romanum sermonem non intelligit, aut intelligere se callidè dissimulat. At quanto erat humanius & sanctius, si quid esset perperam aut negligentius dictum, id dissimulare, aut dextrè interpretari? Ut autem in errato me deprehendi posse fatear, ita non facile quis diligentiam in me desideret. Alterius porro libelli, siue idem, siue alius, astutus compilator, eius fronti nequiter inscripsit aliquot mendacia, quibus non solum vulgus, sed satis doctos, eosdem tamen simplices, circumscriberet, atque ita plurimum odia & grauissimas indignationes in nos concitaret. L X. questiones, disceptatas hoc loco inter nos, ad Lacum vsque Lemanium, ad alienum theologum, quicum illis inimicitiae sunt, mihi notitia nunquam quidquam fuit, missas, de quibus consultus, ille ad eum modum responderit. Responderit autem? cum neq; consultus ille fuerit, neq; illa missa, neq; umquam disceptata. Nam, ut de me solo pergam loqui, nec quesiui tale umquam quidquam è quoquam, nedum quærerem ex eo, aut ei responderem, qui fama & capiti meo insidiaretur. Quae igitur nusquam agitata fuerunt, eas confinxit, qui mendacio, non veritati studeret: quod qui non graue ducit, eum esse leuissimum mortaliu[m] oporteat. Nec misit idem eas ipsas commentitias. Quid enim mitteret? cum & responsurum prauideret neminem, & ei minimè opus esset, qui quae describeret, in manibus iam habebat, ut audietis. De non missis, an aliquis consultus videri possit? etsi fieri potest, ut controuersiae fama, quae Alpes etiam transijt, & illuc aduolarit: quod cum suspicati fuisset, non falsos nos fuisse, his diebus comperimus. Eius namq; rei indicium nobis fecit litteratus iuuenis, nuper è longinquo itinere ad suos in vicinia reuersus: è quo velim sui iudicis audiant sententiam; nec eam tamen audiant, de qua illi imperitis persuasum voluere suis artibus. Quod si omnino quæsitum fuisset, an responderet homo prudens, in re controuersa, cuius neq; occasionem, neq; primum principium, neq; incrementa, nedum utriusq; partis dicta & facta, comperisset. Respondit igitur, si dijs placet, ex ijs, quae in suis annotationibus ante annos quadraginta



ginta commentatus fuerat, cum hanc litem nemo dum somniasset. Nam inde lecta, pro modo natis, & ob hanc controuersiam meditati astute venditant, neminem hanc fraudem odoraturum rati: quod tamen etiam, quo iudicio, qua fide factum sit, qui descripta haec cum ipsis commentarijs conferet, videbit. Iudicio autem peruerso, & mala fide administrata illa omnia, non dubito. Qui enim semel animum artibus calumniae obstrinxerit; ille nunquam se integrum praestet in ceteris: nec fieri possit, cum semper omnia dispiciat, quae causae seruiant, veritatis nihil pensi habeat. Minantur autem etiam, siue iactitant, nescio quae alia: eaque iam sub prelo esse: nec erunt vero superiorum dissimilia. Illi enim scriptores nouae sapientiae alumni sunt, cuius solennia pueris decantant, non absque iactura veritatis & nostri nominis contumelia. Qui etiam si non solum aceruos, sed totos Caucasos vel Brueteros calumniarum ante oculos omnium exstruant, tamen ijs nequaquam veritatem atque innocentiam obruent. Illa enim suapte vi insurgit aduersus mendacia, & haec illius freta praesidio, vel non succumbet unquam, vel ex ultimo discrimine reuiuiscet. Omnium certe, qui innocentes perierunt, memoria hodie salua est, ipsorumque laudes predicantur omni tempore passim gentium. Interea, quae ad existimationem meam a contumelijs vindicandam pertinebunt, & mea, & meorum gratia, faciam, uti debeo, omnia, idque sine conuitio, nullo etiam hostibus nocendi studio, quamuis mihi infensissimis: sed nullo meo merito, in quo est, quod me efferam, vel saltem gaudeam. Illos ego, si putarem vlla re placari posse, nihil omnium, quae recte facerem, praetermittendum arbitrarer. Quod si me sublatum velint, iubeo, ne se admodum crucient. Nec enim longe absum ab illa vltima vitae meta, a natura praefinita omnibus. Scio vero mihi morienti & mortuo melius futurum, quam etiam cuiquam calumniatorum superstiti. Benignum vero lectorem quaeso & obtestor, ut nec sycophanticis illis libellis, neque alijs, siue natis iam, siue prodituris, fidem adhibeat, & mihi excipienti atque neganti, ac munito cum conscientiae tum praestantissimorum virorum testimonijs, magis

magis credat, quàm ἀνοήτοις, Orciꝫ, galea rectis, & alijs, si qui se  
commouerint, quos illorum obscuri gregis esse iudicabo, & illis ma-  
iore cum commiseratione, quàm dolore præteritis, de iuuentute  
& re litteraria benè mereri pergam, fremente bar-  
baria. Valete.

Helmaſtadij in acad. Iul. V. Kal. Sextil.

613 13 6.

F I N I S.





HB. 153147

Sb.

UD74







3.



IOAN. CASELII  
ΔΙΑΜΑΡΤΥ-  
ΡΙΑ

*Aduersum duos sycophanticos libellos, in contume-  
liam aliquot academiae Iuliae philosophorum,  
nuper Lemgoeniae  
editos.*



Helmæstadij in academia Iulia excudebat  
Iacobus Lucius.

—  
Anno MDCCCLX.

3